MEDITATIONES QUINDECIM VITAE & PASSIONIS SERUATORIS NOSTRI IESU...

Johann Landsperger



ſcurae pelluntur luce tenebrae
rutilum cæca per antra iubar?
ſtrare nouis, ceu lampade Phæbi
nt, aſtris inſeris atque caput?



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISS.
ALEXANDRO PERETTO
AMPLISSIMO
S.R.E. Cardinali de Montealto
Salutem plurimam.

VNde potiſſimũ pendeat, Cardinalis ampliſſime, animi noſtri ſalus, ac ſempiterna illa beatitudo, perſpectum tibi eſſe nõ ignoro. Etenim ab ineunte aetate in illius aedibus, ac prope dicã diſciplina inſtitutus es, qui religionem ſanctiſſimam ſemper ſecutus, ad maieſtatẽ illã euectus eſt, vt ampliſſimis fructibus, qui ex vera illius ſolidaq. virtute naſcuntur, orbis terrarum perfrueretur: cuius profecto virtutis immenſa lux altiſſimo loco ſita, quo commodius

pateret omnibus ad imitandum, in te primum reflexa, per te ad alios tamquam de quodam ſpeculo refundi-tur. namq; te Sixtus Quintus Pont. Max. quo cariorẽ haberet neminem, vt maxime illum propinquitate attingeres, ita ſibi dignitate proximum eſſe voluit ea ſpe fretus, ore vt illa virtutis ſemina in animo tuo ſparſa vberrimam atque ampliſſimam ſacroſanctae Eccleſiae ſegetem proferrent. neque illum ſane fefellit opinio: quin etiam ſuperata eſt omniũ expectatio, animi magnitudine, pietate, integritate tua. quid enim in te magnificum non apparet, quid non moderatum ac temperatum, quid non auguſtum, religioſum ac pium? quis non admiretur tuam in colendis ac pertractandis grauiſſimarum diſciplinarum ſtudijs curam, & induſtriam? quis tuam in rebus publicis adminiſtrandis prudentiam non celebret, non ſuſpiciat? quis

te

te non ſummis laudibus extollat, quod nihil vmquam facis a Sixti Quinti, cui omnia ſecundum Deum Opt. Max. iure optimo debes, voluntate ac nutu alienum? quid vero, quod cum illius ſententia non coniungatur? Longum eſſet perſequi ſingula, Cardinalis ampliſſime, quæ in te mirandum in modum elucent animi virtutumque ornamenta praeclara. quare comprehendam breui. Declaras profectò, declaras te non modo Sixti Quinti Pont. Max. (quo nomine excelſa nobis omnia atq. ampliſſima proponuntur) dignitatē referre, ſed eiuſdē mores quoq. ſanctiſſimos pro viribus imitari. Exemplū ad lubricam aetatem, quam ſine caſu vel ſine prolapſione aliqua vix quiſquam ingredi ſolet, cum virtute traducendā noſtris temporibus, poſterisque omnibus quaſi ſignum aliquod extollis. in te omnium ora oculique conuertentur, qui ſacri collegij pari praeſtant di-

 gnita-

gnitate , ijdemque recte factorum tuorum veſtigia libentiſſime perſequentur. Quamobrem a te(vt eo vnde digreſſus eram, reuertar)ſuam ſibi ſalutem pendere cenſebunt, qui tui imitatione incitati,ſe virtutis cliuum ſuperaſſe cognoſcent:idque cum facient, gloriari non deſiſtent ſe nimirum Sixti Quinti moribus informari, quibus eſſe iam pridem tuum pectus imbutū omnes homines cōfitentur:pietate nimirum atq. religione , quas a fonte illum vberrimo potiſſimum hauſiſſe iā praedicamus ; vnde viri ſanctitate inſignes Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Bonauentura, Berna dinus, Antonius diuturnam & inex hauſtam ſitim explere tamen potuerunt. Dum igitur hunc libellum in hominū animis amori erga Deum excitando, flagitijs perpetratis agnoſcēdis, diuinae alliciendae clementiae, iracundiae placandae, eiuſdemq. in nos bene-

ficijs

ficijs recolendis valde accommodatum in lucem edere cogito;ut piorum homi num ſtudijs conſulatur;eo in primis co natus omnes noſtri videntur eſſe refe- rendi, vt flumen illud bonorum omnium, quod nobis adhibitis precibus fluit, noſtris animis imbibamus. id quod cum a te praeclariſſime intelligi praecipua quadam ratione confidam, cum illuſtriſſimis maximeque recentibus beneficijs fueris cumulatus, locupletisſimum diuinae me beneuolentiae teſtem nactum eſſe duxi:quem ceteris liberius poſſem proponere, ſi ipſum libellum amplitudinis tuae nomine decorarem: ad quod nomen mihi ea quoque ratione confugiendum putaui, vt aliorum item ad pietatem ſtudia tuo exemplo excitarentur acrius, & ardentius inflammarentur. Itaq. cum nihil aliud facilius poßit verarum virtutum ornamentis animum cumulare, quam ilſ hae preces, quibus Ieſu Chriſti hu-

 mani

mani generis vindicis vita obituſque recolatur, cum nihil gratius ipſi Deo Opt. Max. fore ſciamus, quam noſtram ſuorum in nos innumerabilium beneficiorum memoriam; ſtudium illi noſtrum officiumque praeſtemus, vt ſceleribus expiatis, in ampliſſimo illo, & cæleſti domicilio, verarum deliciarum, quarum hic inanem dumtaxat, fucatamque vmbram omnino cernimus, praemia nobis a diuina illa benignitate ſanctis aſſiduiſque precibus impetremus. Vale.

Illuſtriſſimae ac reuerendiſſimae amplitudinis tuae

Seruus humillimus

Pomponius Brunellus

MEDITATIONES QVINDECIM

Vitæ & paſſionis ſeruatoris noſtri IESV CHRISTI.

De vita & conuerſatione domini noſtri Ieſu Chriſti ante paſſionem.

Meditatio Prima.

O AMANTISSIME humani generis zelator Chriſte Ieſu, mundi creator ac redemptor, vtinam dignas agere poſſem gratias tuæ bonitati tuæque ad nos caritati, qua miſerabili noſtræ tum damnationi, tum deſolationi compatiens, nullis meritis noſtris, ſed ineffabili miſericordia tua

per

permotus, de regalibus ſedibus, de mellifluo corde patris, in hanc miſeriarum vallem deſcendiſti noſtræ fragilitatis carnem aſſumēdo, idque ſpiritu ſancto in caſtiſſimo vtero intactæ virginis ex puriſſimo eius ſanguine cooperante. In cuius etiam pudiciſſimis viſceribus iam Deus & homo nouem es menſibus geſtatus, ac tandem ſalua integritate, atque omni ſine dolore matris in hunc mundum pauper paſſibilisque es natus, pannis inuolutus, ſuper fœnum inter animalia in præſepio poſitus, maternis vberibus lactatus, legi ſubditus, vt peccator circumciſus, vt ſeruus redemptus, proprio ſanguine tinctus, a paſtoribus agnitus, a Magis ſtella ductis adoratus, in templum oblatus, ab Herode perſequēte in exilium fugatus. Et quum triginta ferme annos ſub matris obedientia latens mundo fuiſſes incognitus, in Iordane es baptizatus,

ptizatus atque poſt longa ieiunia a dæmone in deſerto tentatus. Ieſu dulciſſime, hoc modo noſtrã es redemptionem exorſus, ita ſalutem noſtrã es operatus, his pœnis atque ærumnis tuam infantiam conſecraſti, his calamitatibus vitam expoſuiſti atque vſque ad conſumptionem tui in laboribus & aduerſitatibus, in vigilijs & lachrymis, in orationibus & prædicationibus, in fame & ſiti, in frigore & æſtu, in itineribus & perſequutionibus, in inſidijs & iniurijs, in opprobrijs & deriſionibus multis perpeſſis temet ipſum pro nobis afflixiſti. Hæ fuerunt amantiſſime Ieſu diuitiæ illæ, hæ merces, quibus viles illas ſarcinulas, nos videlicet comparaſti, tanti nos faciens, vt amore noſtri ceu ebrius te ipſum nõ modo in pœnas & opprobria, ſed in mortem etiam vltro offerres. Adoro igitur te ſaluator noſter amabiliſſime, benedi

co & gratias ago tibi pro innocentia tua mirabili, pro vita tua exemplari, pro conuerſatione amicabili, pro doctrina ſaluberrima, pro peregrinatione laborioſiſſima, pro diſcipulorum vocatione, pro beneficiorum erogatione atq. pro inaeſtimabili dilectione. Et per hæc omnia ardentiſſimam caritatem tuam obſecro, vt viliſſimum me peccatorem in gratiã tuam recipias, peccata mea & quidquid in me tibi diſplicet a me miſericorditer tollas, ſeruum perpetuo fidelem me tibi efficias, regas, tuque ſolus me, amantiſſime, ſecundum tuum beneplacitum perpetuo poſſideas.

De venditione ac cæna Domini. Meditatio II.

BEnigniſſime Ieſu, laudo & adoro te & gratias ago tibi, qui inter varia laudis & honoris præconia, quibus te in aſello ſedentem ac Hieroſo

lymam

lymam aduenientem plebs tibi cum ramis arborum & oliuarum frondibus occurrens excepit, vrbis, imo magis animarum in ea excidium fleuiſti, quique vrbem ingreſſus illico ad templum, vbi animas iugi prædicatione & ardenti zelo patri adducebas, te contuliſti. Porro per totum diem prædicãtem veſpere, quum nemo eſſet, qui te inuitaret, vt alienigena hoſpitioque indignus poſt tantos labores in Bethaniam ieiunus rediiſti, a diſcipulo quoque triginta argẽteis venditus, agnum Paſchalem agnus ipſe Paſchalis iamque pro nobis immolandus cum diſcipulis comediſti, quorum etiam pedes lauans humilis magiſter linteo, quo eras praecinctus, extersiſti, corpus tuũ & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini ſumẽda eiſdem tradidiſti, id ipſumque a nobis in tuæ dilectionis & noſtræ redemptionis memoriam fieri præ-

præcipiens inſtituiſti: poſtremo ad dilectionem admonitos, ſermoneque dulciſſimo conſolatos, patri tam ipſos quam electos omnes oratione ardentiſſima commẽdaſti. Nihil omnium omiſiſti benigniſſime Ieſu, quo poſſes oſtendere, quanta nos exuberantia dilectionis attrahere geſtires. Per hanc igitur caritatem tuam obſecro te bone Ieſu, ignoſce omnibus iniquitatibus meis, & quidquid negligentiæ, quidquid irreuerentiæ, quidquid præſumptionis, quidquid delicti circa hoc tremendum eucha riſtiæ ſacramentum admiſi, ea deleas caritate, qua te nobis donaſti. Accende cor meum flagrantiſſimo huius ſacramenti amore & deſiderio, vt quãdo & quotieſcumque tuæ maieſtati placuerit, maxime autem circa vitæ meæ extrema ea humilitate, ea reuerentia, ea puritate & caritate, ea deuotione & intentione, quibus tu inſti-

ſtituiſti & ſumi voluiſti, merear ipſius ſumptione contra omnes hoſtiũ inſidias præmuniri, contra omnes aduerſitates cõfortari, in gratia tua confirmari, tuo beneplacito conformari, amore tibi inſeparabiliter vniri.

Pauor & agon Chriſti.

Meditatio. III.

CLementiſſime Ieſu paſtor æterne, qui gregem tuum vſque in mortem diligẽs, vt a morte illum eriperes, vltro in mortem te obtuliſti. Siquidem cæna facta & hymno dicto, ad hortum cum diſcipulis tuis exiuiſti. Verum inter eundum, quæ paſſurus eras, tormẽta præſentiens, triſtis eſt, inquis, anima mea vſque ad mortem. Itaque progreſſus paululum & a diſcipulis ſegregatus, præ nimia cordis anguſtia in faciem procidiſti clamans ad patrem: Pater ſi poſſibile eſt, transfer a me calicem iſtum:

verumtamen non mea voluntas fiat, ſed tua. Hei bone Ieſu, in quanta tũc fuit preſſura cor tuum, cum hinc ardore æſtuantiſſimæ caritatis impelleretur, geſtiens ad redemptionem animarum ſe totum impẽdere, illinc vero terribiliũ pœnarum, quas præuidebat imminere, concuteretur immanitate, fieretque in te amoris pariter ac timoris vſque ad extrema compugnantium agon, quo cor tuum adeo anguſtiabatur, vt ex toto corpore membrisque ſingulis ſudor emanaret ſanguineus, tantus, quod non veſtes modo, verum etiam terrã, cui facie incubabas, humectaret. In hac preſſura pie Ieſu, maieſtas tua ſe adeo humiliauit, vt angeli quoq. cõſolationem (qualemcumque tum ſuo poterat domino ſeruus adferre) non reſpueres. Adeo tua ſe reſignauit humanitas, vt a patris voluntate numquam declinares: adeo ſuorum cu-

ram

ram tua habuit caritas, vt quaſi tui oblitus, ab oratione ſurgeres, ac diſcipulorum triſtitiam tuæ anteferres. Eia clementiſſime Ieſu pro hac triſtitia, pro pauore, pro anguſtia cordiſque preſſura, pro cunctis gemitibus tuis miſerabilibus, pro altis ſuſpirijs, pro ſingulis & lachrymarum & ſanguinei ſudoris guttis te adoro, te laudo, te benedico, tibi gratias ago De° æternæ maieſtatis, obſecrans te per immenſam caritatem tuam, vt omnem leuitatem ac ineptam lætitiam, omnem quoque inordinatam triſtitiam a corde meo ſemper abeſſe, ſanctam vero cordis compunctionem ſemper adeſſe facias, vt pœnitentiæ & amoris lachrymæ nũquam a me recedãt, ſed cor meum totum liquefaciant: vnde omnes vires cum animae tũ corporis in te ſolum effluãt. Dulcis Ieſu abſorbeat me totum iugis memoria paſſionis tuæ: abſor-

beat me totum ignea vis dilectionis tuæ, vt te ſolum cogitem, te ſolum cõcupiſcam, ad te ſolum ſuſpirẽ atque anhelem, in te ſolo requieſcam.

De Chriſti a diſcipulo proditione. Meditatio IIII.

DVlciſſime Ieſu quis ego ſum, vt tu Deus omnipotens & immenſus pro me, qui non miſericordiam, ſed iuſtitiam; non ſalutem, ſed damnationem merueram, te ipſum ad paſſionem & mortem offerres? Nam hoſtibus tuis ſæuientibus & te quærentibus, velut prædam innocẽtiſſimam te obuium dediſti, ipſiſque verbi tui virtute proſtratis, ſurgendi atque tui capiendi copiam tribuiſti: proditorẽ tuum dulci oculo & benigno verbo ad pœnitentiam inuitaſti: Malchum truculentum hoſtem reſtitutæ auriculæ beneficio donaſti. Adoro igitur, laudo, benedico te, & gratias ago tibi,

bi,pro humilitate, pro manſuetudine, pro caritate, & pro ceteris omnibus virtutibus.quas nobis in exemplum prætuliſti inter conuicia& improperia,inter verbera & tormenta, quando cũ inſultu & horrẽdo clamore inuadebaris,capiebaris,proſternebaris, ligabaris, feriebaris, calcabaris: iugulabaris,trahebaris, trudebaris. Et ſic varijs atque innumeris cũ blaſphemiarum tum pœnarum generibus agnus mitiſſimus a lupis dilaniabaris,atque vſque ad Annæ Pontificis domum propellabaris, vbi ad interrogata tam prudenter quam humiliter reſpondens a viliſſimo es ſeruo & obiurgatus, & alapa violenta in faciem cæſus. Huic dolori tuo acceſſit clementiſſime Ieſu diſcipulorum ſcandalum cor tuũ vulnerans: quorum vnus deſperauit, alius ter te negans etiam abiurauit, cæteri à te fugerunt omnes, hoſtium crudelita-

ti te ſolũ relinquentes. Reſpice nunc clementiſſime domine Ieſu miſeram hanc & miſerabilem captiuitatem meam, qua ligatus teneor. en inter quot pericula verſor, inter quot delicta conſtringor, quot vitijs & concupiſcentijs ſeruiens fatigor, qua peccandi conſuetudine quaſi captiuus teneor, quanta corruptione interioris hominis vt vinctus trahor? Reſpice, miſerere, & verbi tui virtute omnes hoſtium meorum vires proſterne: libera me omni captiuitate peccati, & vinculis mandatorum tuorũ indiſſolubili nexu amoris me tibi cõſtringe, vt nihil mihi in hoc mundo libeat, quam beneplacito tuo ſemper obtemperare, & tibi inſeparabiliter inhærere.

De illuſione Chriſti in domo Caiphæ. Meditatio V.

AEternæ gloriæ ſplẽdor Ieſu elegantiſſime, & præ filijs hominum

num ſpecioſe, hei in quantam igno-
miniam abiectionemque te induxit
& grandis mea iniquitas & tua im-
menſa caritas. Siquidem inde a-
ctum eſt, vt pro me tu cum tumultu
furentium & armorum ſtrepitu op-
probrioſe inter iniurioſa verba ac
verbera ad Caipham ductus, inique
fueris accuſatus, tumide interroga-
tus, irreuerenter abiuratus, pro ſan-
cta quoque reſponſione blaſphemiæ
indecenter accuſatus, ac tandẽ quaſi
mortis propterea reus iniuſte dam-
natus: deinde alapis, pugnis & cola-
phis cæſus, vnguibus vellicatus, ac
crinibus tractus, fœda abominabili-
que hoſtium immũditia conſputus.
Dediſti genas tuas vellentibus, faciẽ
tuam increpantibus ac conſpuenti-
bus, & totum corpus tuum percutiẽ-
tibus, donec neque ſpeciem, neque
decorem habens, vt leproſus, vt per-
cuſſus a Deo, vt denique virorũ om-
nium

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nium nouiſſimus eſſes reputatus, atque cunctis iam in deriſionem & opprobrium factus, totá nocte cædereris, velareris, ſubſannareris, illudereris. Itaque pro tui ludibrijs his atq. iniurijs omnibus, quibus per noctem velut agnus innocentiſſimus fatigatus es, laudo, benedico, adoro te & gratias ago tibi, orans per manſuetudinem tuam mitiſſime Ieſu, vt cor meum illumines, cognitionem mihi propriæ iniquitatis & vilitatis cum ſancto odio atque diſplicentia mei ipſius infundens, item cognitionem bonitatis tuæ cum ardentiſſimo caſtiſſimoq. tui amore indelebiliter imprimens, vt in dies magis in me creſcant & profundiſſima humilitas & perfectiſſima caritas. Amem ipſe neſciri: amem ab omnibus vilis æſtimari deſpectusque haberi: amem te dulcis Ieſu, toto corde deſiderẽ te ab oĩbus cognoſci, diligi & honorari.

Accu-

Accuſatur ſperniturque Chriſtus coram Herode & Pilato. Meditatio. VI.

FIdeliſſime amator noſtræque ſalutis auctor Chriſte Ieſu adoro te & gratias ago tibi, qui vinctus, cóſputus, ſicq. deformis ductus es mane ad Pilatum, vbi a principibus & populi ſenioribus inter cetera ipſorum efficta mendacia, ſeditionis etiã atq. criminis læſæ maieſtatis inique es accuſatus. Porro cum Galilæus diceretis, a Pilato ad Herodem (ſub cuius te eſſe poteſtate arbitrabantur) es remiſſus. quo pergens inter opprobria & calumnias per ciuitatis medium ducebaris. vbi cum Herodi te videre atque audire geſtienti, neque reſponderes, neque vllum miraculum oſtenderes, ab ipſo omniq. eius exercitu ſpretus es, calumniatus es, in alba veſte illuſus es, e regia

eiectus es & Pilato non aliter atque fatuus remiſſus es. Hei bone Ieſu, quam ignominioſe tum ducebaris, quam violenter impellebaris, quam probroſe ſubſannabaris? Vbique ſpectaculum & opprobrium factus eras etiam pueris atque ceteris vilibus perſonis accurrentibus, & tamquam inſanum te irridentibus.

O vtinam dulciſſime Ieſu des mihi perfectiſſimam humilitatē ac patientiā, vt temet ipſum agnoſcēs toto corde deſpiciam, omnem hominem mihi præferam & præferri cupiam, de mei contemptu ex corde gaudeam, contemptores mei ſyncere & ex animo diligam.

Chriſti flagellatio. Meditatio. VII.

GLoria & corona ſanctorum omnium domine mi gratioſiſſime Chriſte Ieſu, quam benignus nobis, quam rigidus atq. durus tibi es propter

nos? Quippe qui reductus ad Pi-
um non ſine graui ignominia ve-
ſtibus omnibus es nudatus, vinculis
duris atrociter ad columnam liga-
tus, virgis, flagellis, ſcorpionibus im-
maniter es verberatus. Hei patientiſ-
ſime Ieſu, quo modo caro tua nobiliſ
ſima laceratur, quo modo cutis tua te
nera diſcerpitur, quo modo decor
corporis tui prophanatur, quo modo
ſanguis tuus ſacroſanctus funditur
atque pedibus conculcatur? Pro vere
cundia tua, qua ante oculos deriſo-
rum tui afficiebaris, pro doloribus
& cruciatibus omnibus, pro ſingulis
flagellorum ictibus, pro guttis deni-
que ſingulis ſanguinis pro me fuſis
adoro, laudo & benedico te creator
mi benigniſſime, gratias agens tibi
& obſecrans pietatem tuam per ſin-
gulas plagas, liuores & vulnera tua,
vt per hæc flagellationis tuæ merita,
in hora mortis meæ me liberum fa-

cias

cias ab omnibus peccatis & pœnis, quibus in curia tuæ iuſtitiæ tunc obnoxius tenebor, vt ſic ex ſingulari gratia & miſericordia tua peccatis meis plene omnibus per te remiſſis, totus liber ac mundus ex hac vita continuo immediateq. ad æternam recipiar. Dulcis Ieſu nihilominus da mihi ad tuæ paſſionis cōformitatem & gratiarum actionem patientiſſime & humillime ferre quidquid dignatio tua ſancta mihi impoſuerit, vt paſſio tua pro peccatis meis ſatisfaciat: ego vero non ſolum pro peccatis meis, ſed pro tui amore & beneplacito ex caritate patiar, quidquid tu ipſe volueris & diſpoſueris, idque cum iugi gratiarum actione in omnibus & pro omnibus te ſemper magis diligēs ac laudās ſine fine.

Chriſti coronatio. Meditatio. VIII.

HVmillime Ieſu Chriſte, Rex cæli & terræ, adoro ſupplex te Deum

Deum & creatorem meum, quoniá quidem propter me tu deriſus & illuſorie adoratus es. quippe cuius ſanctiſſimo vertici coronam ſpineá milites impoſuerũt, & chlamide coccinea, ceu pura te amicientes, ſceptrum quoq. baculum arundineum dexteræ tuæ impoſuerunt. Hei dulcis Ieſu, quanta pœna, quantus cruciatus ſacroſanctum caput tuum afflixit? nec tamen tanto dolori tuo impertiebatur compaſſio, ſed deriſio, quandoquidem veluti regni inuaſorem temeritatis te arguunt inſignia regalia, circũponentes tibi illudunt, inclinando ſe vt regem te ſalutant, vt Deum adorant. at ilico ſurgentes iterum faciem tuam turpiter conſpuunt & alapis cædunt, dura arundine caput venerandum percutiunt, atque tandem ceu triumphum hoſtibus tuis inſtruentes ſic miſerabiliter te afflictum vidẽdum deridendum-

que populo educunt. Itaque produ-ceris tu bone Ieſu, qui præ cordis anguſtia & corporis dolore vix mo-uere te poteras, & in gaudium hoſti bus tuis deridendus oſtenderis. Nul-la fuit tunc hoſtibus miſeratio erga te bone Ieſu, quorum corda iampri-dem furor liuorque obſederat. Nam & ſi eo liuore & vulnerũ cruentatio-ne tam appareres miſerabilis, vt di-cente Pilato: Ecce homo, etiam ho-mini videreris diſſimilis (quippe cu ius faciem ſputa & cruor ſimul mix-ta operuerant, cuiuſque corpus to-tum erat aut ſanguis fluens, aut pla-ga tumens) nulla tamen calamitate, nullis in te pœnis ſatiari poterât ho-ſtes; quin potius atrociori in te inui-dia commoti magnis clamabant vo-cibus: Crucifige, crucifige. O piiſſi me Ieſu, quantum afflixit piiſſimum cor tuum huius malignæ plebis, cui tanta beneficia præſtiteras, inuidia.

Pro-

Proinde iterum atque iterum te bone Ieſu adoro, gratias ago & benedico te pro omnibus, quæ paſſus es, & pro caritate, qua paſſus es, obſecrans te per infinitam miſericordiam tuã, vt omnem arrogantiam & vanam gloriam, omnem oſtentationem atque prorſus omnem ſuperbiæ peſtẽ penitus a me alienam facias: non reperiatur vnquã in ſeruo tuo, quod ſuperbiam aut vanitatem redoleat, ſed da mihi cor ſemper contritum & compunctum, cor inquam dulcis Ieſu ſecundum cor tuum, quod caritate ardẽtiſſima & compaſſione intima ſemper ſit vulneratum, quod tui deſiderium, tui memoriam ſemper in ſe teneat, te ſemper cogitet, in te paſcatur, in te requieſcat, a te numquam recedat, imo tecum feliciter maneat ſine fine.

Poſtulatur Chriſtus ad crucem latrone dimiſſo. Medit. IX.

INnocentiſſime agne Chriſte Ieſu quid feciſti, vt tantis doloribus & pœnis crucieris? Ego peccaui, & tu luis. quid igitur poſt hac extollam me ego cinis,& puluis? Ecce tu Deus maieſtatis, adeo vilis adeo exoſus haberis, vt dum pro tui dimiſſione Pilatus inſtaret, & latronē ſimul ob hoc tecum proponens, populum ad tui liberationem allicere cuperet,interrogans,vtrū e duobus ob diei feſti reuerētiam,ſimulq; propter priuilegium cōſuetum vellent dimitti,impij illi homicidam tibi præferunt,quem vita quoque donandum, at vero vitæ auctorem necandum magnis importuniſque vocibus poſtulabant.

Ah pie Ieſu hanc iniuriam, hanc contumeliam,hanc blaſphemiam, quam

quam patienter ſuſtinuiſti? magnũ fuit opprobrium latroni, eiq. inſigni comparari: at maius acceſſit eo ipſo viliorem, vitaque indigniorem te iudicari. Pro hac igitur iniuria, ſimulq. pro tui damnatione, qua ante tribunal iudicis tamquam impius ac malefactor adductus es, inique iudicatus es, & morte ignominioſa damnatus es, te adoro, laudo & benedico, tibique gratias ago, obſecrãs te per immenſam pietatem tuam, vt tua me gratia adeo impleas, adeo confirmes, vt numquam æternæ dãnationis reus inueniar. Pijſſime Ieſu abſolue me ab omnibus peccatis & negligentijs meis, vt per miſericordiam tuam plene tibi reconciliatus, per paſſionem tuam perfecte purgatus, per gratiam tuam a cunctis vitijs liberatus, tuis meritis ac virtutibus omnibus ditatus, ex hac mortali vita neque damnandus, neque vl-

tra

tra caſtigandus egrediar, ſed ſingulari benedictione ad conſolationem interminabilem recipiar, ſcilicet ad te creatorem meum, cuius tu me nunc facias dulcis Ieſu, amantiſſimum deſiderãtiſſimumque, qui nulla poſſim extra te conſolatione recreari, quin totus tui amore langueã, totus a me deficiam, totus in te ſolo viuam atque ſubſiſtam.

Portat Chriſtus crucem ſuam, & nudatur veſtibus. X.

LAudo & benedico te pijſſime Ieſu Chriſte, qui ad mortẽ crucis damnatus, proprijs iam veſtibus reindutus, latronibus ſociatus, inter opprobria & vituperia ignominioſe extra vrbem es eductus, ferens ſuper humerum tuum crucẽ tuam, in qua extremum paſſurus eras ſupplicium. quod cum nemini ante, nec latronibus quidem modo tecum cruci-

cifi-

cifigendis,tibi tamen ſingulariter factum eſt, vt ſi mortis tuæ cauſſam, (quam nullam habebas) quis cognoſcere cuperet, vel hoc ſchemate ſingularis infamiæ, omnium te maxime reum mortis crederet, qui proprium ſupplicium ad locũ Caluariæ (quod peſſimus, quiſque numquam tulit) ex portares. Hei domine iam pœnis fatigatus, iam viribus exhauſtus, quo modo incedebas ſub cruce onuſtus & ad terrã curuatus, dolens, gemenſque, occurrente interim matre tua deſolata ac pene exanimi, flentibus quoque amicis tuis, & veſtigia tua cruenta ſectantibus? quos retroſpiciens tu conſolabaris: filijs vero Belial gaudentibus, cantantibus, & ſuper damnatione tua tibi inſultantibus, quos humiliter ac velut omnium malorum reus tolerabas. Benigniſſime Ieſu interea trahebaris, impellebaris, proſternebaris, calcabaris,

baris, omnibus ſubſannandus ac illudendus offerebaris, donec viribus tādem omnibus deſtitutus, ſub trabe crucis aliquoties deficiēs corrueres, ac Symone tādem angariato, qui poſt te crucem ferret, ad Caluariæ montem pertingeres, vbi verecundus coram hoſtibus & omni plebe nudabaris: atque adeo renouatis doloribus & vulneribus ſingulis, per laneæ veſtis (quæ plagis tuis congelata fuerat) violēta abſtractione denuo ſauciabaris. Pro his & omnibus improperijs pie Ieſu pro me perpeſſis, adoro te atque gratias ago tibi, obſecrans te per infinitam miſericordiam tuam, da mihi gratiam perfectiſſime & funditus abnegādi me ipſum. Dulcis Ieſu, trahe me poſt te, vt ardentiſſimo deſiderio imitandi veſtigia vitæ ac paſſionis tuæ ſequar te, quocumque ieris, & quocumque me ſequi volueris pie Ieſu, ſeruiam tibi fideliter ſi-

cut tu volueris: ſuſtineam æquanimiter quidquid tu me pati volueris: intelligam in omnibus prouidentiam tuam: de manu tua cuncta cum laude & gratiarum actione ſuſcipiam, in ſeruitio tuo neque tepeſcam neque deficiam, ſed omnes vires animæ & corporis, omne tempus vitæ meæ in beneplacitum tuum, in laudẽ & amorem tui perpetuo expendam.

De Ieſu Chriſti crucifixione. Med. XI.

MItiſſime atq. mãſuetiſſime Ieſu, quam magna altitudo miſericordiæ tuæ, quã immenſa latitudo caritatis tuæ, qui ante oculos tuos ſupplicium atque ſtratum mortis dum tibi parari vidiſſes, atque ſuper illud impetuoſe deiectus eſſes, ad crucis cornua brachia tua vltro expandiſti: vbi cum ad foramina crucis nimis diſtantia violenter atque vſque ad

compagum ſolutionem diſtendereris, clauiſque diris per manus & pedes cruci affigereris, non aliud agne manſuetiſſime dixiſti, quam: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. In tanto pœnarum cruciatu monſtrabas, quod cæcitatem illorum magis quam corporis tuj languorem doleres? hoc enim præcipuum agebas, vt hoſtium tuorum peccata excuſares, & vindictam, quam merebātur illi, tu deprecando, illos patri cōmendatos faceres. Pro hac caritate tua, pro miſeratione pijſſimi cordis tui, pro omnibus quoque pœnis & diris cruciatibus, pro ignominia denique, quam paſſus es, quād◆ nudus in cruce exaltatus es, & medius inter latrones, perinde ac omnium ſceleratiſſimus ſuſpenſus, opprobrium ho minum & abiecto plebis pro me factus es, a prætereuntibus, item ab altero latronum ſubſannatus, & cum
expro-

exprobatione beneficiorum tuorum blaſphematus es : præcipue autem pro clementia tua,quam alteri latronum veniam abs te petenti exhibuiſti,non ſolum peccata dimittens,ſed regni etiam tui gaudia atque tui cõſortium eidem promittens;te laudo, benedico , ac gratias ago tibi Domine Deus meus.Obſecro autem te per ſingula vulnera & dolores corporis tui,perque omnes guttas roſei ſanguinis tui,quem exuberatiſſime fundens crucem & terram rigaſti, aufer & prohibe a me quidquid oculis in tuæ maieſtatis in me diſplicet , infunde ac ſerua quidquid placet . O amantiſſime & fideliſſime Ieſu, da mihi ardentiſſimam,perfectiſſimam, fideliſſimam , perpetuamque caritatem : hac mentem meam repleas & confirmes, qua ſcilicet te deum meũ in omnibus & ſuper omnia , proximum vero omnem in te& propter te
 ſyncere

ſyncere vereq.diligā, odiētibus atq; offendentibus me ex animo ignoſcam, bene cupiam, bene faciam. O vtinā dulciſſime Ieſu o vtinā ignoſcat cor meum odore caritatis tuæ, abſorbeatur memoria paſſionis tuæ, rapiatur in te totali aggreſſu & abnegationis proprietatis ſuæ, poſſideatür a te impletione bonitatis tuæ, transformetur in te felici ac inſeparabili vnione diuinitatis tuæ. Dulcis Ieſu te ſolum ſciam, te ſolum quæram, te ſolum ſitiam, tibi ſoli intendā & inhæream, in te ſolo quieſcam & gaudeam.

De cruciatu tam externo quam interno Chriſti in cruce.
Med. XII.

NObiliſſime Ieſu, Deus & homo qui naturam humanā propter nos aſſumpſiſti, & iam in eadem patiendo temet ipſum pro nobis hoſtiā

viuan

viuam & immaculatam patri obtuliſti: vtinam cordi meo tuæ paſſionis iugem memoriam imprimas, vt indeſinenter deuote meditando expẽdam in te humanitatis tuæ nobiliſſimam tenerrimamque complexionem, maieſtatis incomprehenſibilẽ excellentiam, pœnarum magnitudinem & multitudinem, vulnerum acerbitatem & profunditatem, dolorum multiplicitatem, opprobriorum varietatem, ſpiritus anguſtias, cordis preſſuras, compaſſiones atque triſtitias: quæ omnia cum ſemper, tum maxime tribus his horis, quibus in cruce tribus clauis eras ſuſpenſus, tibi cruciatus morte amariores exaggerauerunt, ſiquidem patiebaris ſingulis membris, nec quidquã in te erat, quod liuore atque dolore in te non eſſet ſaucium. Acceſſit quod ſingulorum vulnerum, ſingularumq. pœna-

tiebas, ſimul omnes atque ſingulos dolores & acerbitates. Ampliabãtur vulnera & nouis cõtinue pœnis profundius lacerabantur, adeo vt dolor non modo omne corpus, verum cordis etiam atque oſſium medullã penetrans te ſolum laniando mactaret. Cæterum vehemẽtius multo te affligebat internus dolor pro animabus ingratis, tantam caritatem contempturis ac ſub tanto precio pro illis expoſito perituris. Aſtabat præterea pia mater ſub cruce, nullam conſolationem tibi potens adferre, imo quã ad doloris tui & interni cruciatus augmentum adeſſe tibi voluiſti, vt ipſius & potiſſime noſtri curam ageres, hoc eſt, nos illi ſub diſcipuli nomine in filios, ipſam vero nobis in matrem donares. videbas eam anxia compaſſione tabeſcentem, & dolore nimio velut exanimem. Vnde fiebat, vt internus dolor tuus externo non

foret minor: nulla tamen vtrobique occurebat conſolatio, nulla pœnarum inrerpellatio, nulla requies concedebatur. nudus pendebas, pauper ac deſpectus non habens tantillum, quo caput ſpinis obſitum ac plagis liuidum reclinares: ſed derelictus ab omnibus, atque adeo patris conſola tione deſtitutus circa horam nonam, dum tenebrae iam vniuerſam operuiſſent terrá, amaritudini totus expoſitus clamabas: Heli, Heli lãmaſabacthani, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Chriſte Ieſu pijſſime pro ſingulis plagis, liuoribus, vulneribus, pœnis atque gemitibus, pro ſingulis denique guttis ſanguineis tuis adoro, laudo, benedico

ra & cuſtodi me ab omni peccato ab inſidijs inimici defende me, in omni tentatione protege & dirige me: rege & poſſide me, & fac vt toto corde ſemper vulneratus, tui amore & compaſſione abſorptus, te ſemper videam Deum meum pro me crucifixum: ita tibi ſemper mens mea inhæreat, vt nihil extra te mihi libeat. Dulcis Ieſu imple cor meum fide recta, ſpe firma, caritate perfecta, quibus perpetuo tibi & inſeparabiliter inhæream, & nũquam a laude tui & gratiarum actione deficiã. Oro te etiam pie Ieſu pro omnibus, pro quibus tu paſſus es, ne tam dolorosa paſſio tua, neue tanta caritas tua in eis pereat. Conſolare omnes afflictos, tentatos protege, cunctos, qui in gratia tua ſunt, confirma, conuerte omnes ad te, qui auerſi ſunt & ſaluos fac nos, ſicut tu ſcis & vis Domine Deus noſter.

De ſiti & morte Chriſti.
Med. XIII.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cum omnium creator es & dominus tantam pro me ſuſtinere paupertaté voluiſti, vt ardentiſſimam ſitim patienti nón eſſet, qui tibi aquá porrigeret, deeſſet aqua, quæ te refrigeraret: adeſſent vero, qui clamanti & æſtuantem ſitim conquerenti acetum felle mixtum propinarent. Hoc licet vtcumque potum ſiti mederi potuiſſet, guſtare tamen illud, non auté ſumere voluiſti, vt pote cruciatum eligens non refrigerium. Itaque hoc guſtato, cóſummatum eſt, iniquis, nil ſupereſſe indicans, quam vt in mortem amariſſimam traderes animam

dem lachrymātibus oculis, tabeſcentibus viſceribus, obrigentibus membris, in amariſſimo cruciatu, clamore valido patrem inuocaſti orans: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meū. Quem etiam mox vt oraueras, inclinato capite eidem tradidiſti.

O dulcis Ieſu teſtabantur (quo modo poterant) innocentem mortem tuam, & quaſi compatiebantur inſenſibiles creaturæ; ſiquidem luctum præſe ferunt ſolis obſcuratio, terræ tremor, veli & petrarum ſciſſio, monumentorum apertio, perſequutorum ſe redarguentium confeſſio, ac pectorū percuſſio. Et cum hæc omnia fiant, hei dulcis Ieſu, ego, qui mortis tuæ tam acerbæ, quam ignominioſæ reus ſum, non plangam? non ſcindar? nō vulnerabor? Eia amātiſſime Ieſu ſcinde cor meum tui dolore, vulnera cor meum tui amore, qui nos vſque in finē dilexiſti. Amator fideliſſime, quid
10. retribuā tibi pro hac immēſa tua dilectione?

ctione? Adoro te, laudo te, benedico te, & gratias agens obſecro te, fac vt peccatis omnibus, vitijs & concupiſcentijs vniuerſis, affectibus cunctis inordinatis, mundo & mihi-ipſi totus moriar, tibi autem ſoli viuã, tibi ſoli inhæream. Oro etiam te pijſſime Ieſu, vt mors tua amariſſima ſit defunctis omnibus requies, conſolatio & vita ſempiterna. ſanguis tuus precioſus miſericordiſſime Ieſu, in purgatorum deſcendat, & defunctorum omnium pœnas aut refrigeret aut extinguat.

De apertione lateris Chriſti. Med. XIIII.

Piiſſime Ieſu non ſufficiebat ca-

dum vt dilectionem, qua cuncta illa pro nobis agenda ac patienda ſuſceperas, nobis monſtrares, & amoris oſtium reſerando, cunctis volentibus etiam in te introeundi copiam faceres? Pro hac igitur dignatione tua clementiſſima, pro flebili quoque corporis tui depoſitione de cruce, pro eiuſdem aromantibus conditi tumulatione, pro luctuoſa amicorum ad vrbem regreſſione, pro deſiderabunda matris tuam reſurrectionem credentis expectatione, item pro potentiſſima deſcenſione tua ad inferna, qua tuos amicos perbenigne viſitaſti inenarrabili gaudio refeciſti, tua præſentia beatificaſti, de inferni clauſtris eripiens paradiſo induxiſti, adoro laudo & benedico te, gratiaſque agens obſecro te per cor tuum pijſſimum, vt in illud cor meum totum trahas, ſepelias, abſorbeas vniaſque, vt præter cor tuum aliud non habeam. Dulcis Ieſu accipe cor meum, &

da mihi tuum, aut cor ſecundum cor tuum, quo extra te nihil cogitem, nil ſciam, nil deſiderem: ſed te poſſidens, a te poſſidear? vt tu ſolus mihi ſis deus meus & tu ſis mihi omnia in omnibus. Iterum oro te pijſſime Ieſu pro omnibus defunctis per cor tuũ pijſſimum, da ſingulis & omnibus refrigerium & requiem ſempiternã.

De reſurrectione Chriſti.
Med. XV.

QVi es creator noſter, ſaluator noſter, liberator, adiutor dux & legifer noſter Chriſte Ieſu qui in paſſione tua factus es nobis merces & redemptio, vita & ſalus: qui virtutum omnium exemplar te nobis conſtituiſti. Admoneo illius te gaudij, quod deuicta morte & pera-

Mariæ Magdalenæ ſpōſus deſideratiſſimus, diſcipulis quoque magiſter dulciſſimus apparuiſti, ac tandem in eorumdem oculis cælos aſcēdiſti, & promiſſum ſpiritum ſanctum cordibus eorum infudiſti, iudex ſeculi iterum venturus, & vnicuique ſecundum merita aut præmium aut ſupplicium redditurus. Pro quibus omnibus te laudo, benedico, adoro & gratias ago, obſecrans tuam maieſtatem, vt caritate inextinguibili me accendas, gratia tua numquam a me ſeparabili confirmes, regas atque poſſideas, & felici morte ab hac præſenti vita ad æternā trāsferas. Miſericordiſſime, pijſſime, amabiliſſime ſuauiſſime, en offero me tibi, quia placet tibi, ſuſcipe in pace animā meā. Veniā ad te Domine Deus meus tecū ſine fine māſurus. Id ipsū rogo te pro omnibus ſanguine tuo redēptis dulcis Domine Deus noſter. Amen.

F I N I S.